

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

XIII. De ulitate tribulationis.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

trix et miseratrix totius creaturæ. Si benigni, amabiles, pacifici studuerimus esse, sanctis Angelis similes sumus, [qui nunquam malitiose agunt]. Si sanctam conversationem cum exilio et tribulatione sine solatio sufferimus, sancto Joanni Baptistæ, qui inter natos mulierum major est, nos conformamus. Desiderium laudis divinæ, cognitio in donis, et fruitio Dei voluntatis ordinata Patriarchis et Prophetis nos similes reddit, [qui se magnis virtutibus conjunxerunt Deo]. Studium divinæ sapientiæ et conversio peccatorum et in tribulationibus perseverantia sanctis Apostolis nos assimilant, qui se reliquerunt usque ad mortem. Si patientiam in omnibus eventibus et fidem catholicam inconcussam usque ad mortem servaverimus, formam Martyrum induimus, qui viam regni cælestis suo sanguine resperserunt. Quando necessitates vivorum et mortuorum fidelium in sancta Ecclesia cum pietatis studio pertractamus, sanctis Confessoribus, qui cum multis laboribus, vigiliis et sanctis exercitiis similia fecerunt, utiliter conformamur. Pugna invicta contra carnis concupiscentiam, et virginalis munditia conservata, electis Virginibus conformitate sociat, quæ nunquam palmam victoriæ amiserunt. Vera pœnitentia et satisfactio magna sanctis Viduis nos assimilant, quæ post culpas tantam gloriam meruerunt. Quantum omni virtutum studio et operibus attenti fuerimus *in hoc sæculo*, tantum Domino Deo nostro et omnibus Sanctis ejus conformabimur *in futuro*, qui eum [cum omni alacritate] secuti sunt *in hoc mortali stadio, vitiis repugnantes et virtutibus adhærentes*.

## XIII. DE UTILITATE TRIBULATIONIS.

GRATIAS ago Deo quia benignitas est, et quamdiu vixero meipsam judicans defleo mala mea; *Deus ultionum*, Deus non supervacue ulciscitur *in peccatis*. Quamdiu vanitati et peccato creatura subjecta est, *etiam non volens*, non tam virtutibus indiget quam pœna. Quam dum sibimet inflixerit homo consulte et discrete, utilis est assumpta propter Deum; ea vero quam Deus per inimicos suos infert vel

V. 2.

amicos, tanto nobilior et utilior consistit, quanto ipse melior et suavior est omnibus per quos tormenta et supplicia inferuntur. Christus Dominus noster non per pœnam quam sibi intulit nos redemit; verum quemadmodum sibi in pœnis famularem et laboribus, nos instruxit. Passio autem quam ab inimicis et perfidis pertulit sine culpa, mors miserabilis et despecta, in qua nullus cum eo amicus perstitit præter singularem virginalem Matrem, intemeratam Mariam, nostræ redemptionis causa præcipua exstiterunt; quia vero Mater Virgo Filio veraciter unita fuit interius, cum ei inseparabiliter adhæsit exterius.

Dum ego misera anxiarer et pœnarum mearum tædium me teneret, consolatus est me Dominus dicens: Adversitatum doloribus, pœnarum cruciatibus carere semper, salutis fragilitatis humanæ non convenit; purificat enim assidue a peccatis multiplicibus hominem et tuetur.

Et ecce vidi in spiritu terribilem peccatorum exercitum nos persequentem, tamquam omnes montes, et lapides, [gramina], arbores et eorum folia, stillæ pluviarum et arenæ maris in vivas personas versa, nos quærentes opprimere, ne valeamus in Dei misericordia respirare. Igitur contra peccata, quæ quandoque verbis nequimus exprimere, datur nobis *ab occulto Dei judicio* pœnarum asperitas, quas occulte in nostris membris miseris sustinemus; præterea amaritudo adversitatum a futuris lapsibus defendit, quos frequenter munda electorum corda quæ Spiritus Dei repleverit pertimescunt. [Tertio.] hujus etiam incommoditatis nobilitas ad susceptionem Dei gratiæ dignos reddit. Cum enim omne temporale commodum et transitoriam necessitatem terrenumque solatium anxia cum timore et exuli corde suscipio, tum *procul dubio* divina illa ac delicata adest consolatio.